



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

13. Novembris. Scrupulus per tempus aliquod, dum præsertim recens est, vitæ melioris institutio, animam rebus spiritualibus vacantem nonparum juvat. S. Ignat. de scrup.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

dam cœli prægustus est; ut vice versâ per-
turbatio, inquietudo, signum perverſi spi-
ritûs, & aliquam inferni imaginem notat.

Mancipia diaboli, quòd tristentur, ha-
bent; nulla filiis Dei tristitiæ causa. Dicite
justo: quoniam bene. Fons gaudii, & ma-
roris idem est, conscientia propria, illius
bona, mala istius.

13. Novembris.

*Scrupulus per tempus aliquod, dum præſeri-
tim recens est, vitæ melioris institutio, a-
nimam rebus spiritualibus vacantem non
parum juvat. S. Ignat. de scrup.*

Qui nunquam dubitat, nunquam ad
veram rerum cognitionem perve-
nit; sic, qui in rebus animam spectantibus
incurius absque sensu hæret, nunquam sin-
ceram sui notitiam obtinebit.

Tenera conscientia oculi instar est, eri-
am pulvisculus tenuis, aut levissimus pilus
illum offendit, nec quiescere sinit, donec
eximatur; crassa verò callum obduxit, nec
trabem ampliùs sentit.

Deploratæ valetudinis indicium est, nul-
lo in morbis dolore tangi; cùm ægri opti-
mè secum agi credunt, ibi proximi sunt pe-
ris

riculo. Utinam non pari sæpissimè lethar-
go multorum animæ laborent !

Quàm sollicitè de temporalibus ineun-
tur rationes ! quàm accuratè lucra confe-
runtur, & damna ! res omnes ad trutinam
exactissimè revocantur. Sola nobis ità vi-
lescit anima, ut nullam mereatur sollici-
tudinem.

14. Novembris.

*Sicut damnosum est primates coram populo
allatrare, atque proscindere : ità privas-
tim admonere eos, qui, si velint, mederi
malo possint, operæ pretium est. S. Ignat.
ad sentien. cum Eccl.*

INeruditum vulgus sponte suâ in pejus
rapitur, & ad Magistratûs sibi præpositi
contemptum inclinatur: cave tu novam pa-
rata materiam flammam subdere, nisi velis
incendio publico causam dare.

Qui in edito sunt, remotiùs vident, quæ
sibi tibi pariter innotuissent, rariùs eorum
gesta fugillares. Tibi obediendi, non judi-
candi relicta est gloria; minùs publicè ple-
ctendi potestas data.

Publica Magnorum exagitatio nulli
prodest; non Magistratui, quia justâ move-